



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve
Adolescentiae Sanctorvm**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphalorvm, 1615

Guido confessor 12. Septemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

Interrogatus autem, quinam posset carnis tentationibus & libidini resistere, nihil respondebat. Nouerat enim vir sanctus, hostem antiquum magna calliditate semper id agere, ut quem non possit voluptate vincere, vaneglorie laqueis implicatum elidat. Quo ille viriliter superato, vitaq; in summa sanctitate traducta, ipsomet Christo illum ad regni sui gaudia invitante latus exspirauit.

PVERITIAS. GVIDONIS CONFESSORIS,
Anderlaci propè Bruxellas quiescentis.
12. Septemb. Sur. Tom. 5.

Amat pauperem.

Denotio.

Misericordia in pauperes.

VI R venerabilis Guido in pago quodam Brabantiae, tugurio rusticano & paupere domo natus & educatus est: atq; in ipsis primis aetatis initijs penuria diuitias putabat, ut quantum illa patiebatur aetas, e pusillo Christi grege esse totis viribus contenderet. Suffurabatur iam tum parentum oculis certas horas, quibus ecclesiam oratus adiret, vel infirmis, quicquid ex facultatibus suis licet exiguis habere poterat impertiret. Nec eum hilarem vlla vidit dies, qua non prius aut in preces incubuisse, aut eleemosynam prestitisset. Stupebat genitor, & vicini pariter admirantes diuinum aliquid iam omnes in eo venerabantur. Peruenit tandem ad villulam Lakensem: ubi cum in Ecclesia virginis Matri sacra preces de more pergeisset, presbyter loci illius captus eximia eius pietate, & venusti vultus grauitate, eum ad se inui-

inuitauit, persuasitq; vt operam suam, relictis
mundi vanitatibus, Ecclesiæ illi deinceps cō-
ferret. Nō recusauit optatam diu cōditionem
Guido, sed mox paternæ domus & rerum o-
mnium oblitus, ad Ecclesiæ istius, ac prēcipue
animæ suæ cultum totum se contulit. Dabat ^{Dat opera}
igitur operam vt altare niteret, testudo, pau-^{ornando}
mentum, Sacrarium nihil haberent sordium,^{templo.}
& vasa terfa ac munda apparerent. Diuersi ge-
neris floribus & arborum frondibus cācellos
& thecas sanctorum vestiebat; vt quicquid in
illa æde vel aspectu vel dispositione placeret,
eius laborem & studiū testaretur. Si quis eum
quæreret, in templo reperiebat. Inuidiam hu-
militate superare, nulli vnquam obsceno fer-
moni locum dare, non contra Euangeliū do-
ctrinam duas habere tunicas, potiusq; ad alie-
nas fores stipem emendicare, quām ī peten-
tem sine eleemosyna dimittere, studebat. Cor ^{Corpus ie-}
pus domabat & conficiebat ieunijs, crebro in ^{iunijs edo-}
Ecclesia per noctabat, & quod sanè difficilli- ^{mar.}
mum est, absq; suæ animæ detimento omni-
bus placebat. Nunquam in ore eius risus, aut ^{Grauitas.}
puerili leuitate effusus, aut muliebri petulan-
tia fractus videbatur. Peccata quotidiana & si ^{Poeniten-}
ne quibus vita præsens nullo modo ducitur, ^{tia.}
tanta lachrymarum vi diluerē solebat, vt im-
manium scelerum reus videri posset. Atq; ita
vitæ studio castè integreq; decurso, cum morti
iam propinquaret vocem ad cælestē brauium
inuitantis audiuīt: Veniat dilectus noster ad

Cc 3 per-

percipiendam æternę iucunditatis coronam,
quia fidem seruavit. Moxq; aduolantes iij qui
in domo erāt sanctam illam animā corporeis
solutam vinculis ad celos migrasse inueniunt.

PVERITIA S. AICHARDI ABBATIS GI-
mesiensis 15. Sept. Sur. Tom. 5.

SAnctus Aichardus Anschario & Ermena
natus, mox vt primos intelligentiae annos at-
tigit tam multiplici coepit virtutum omnium
emicare splendore, vt parentes haud exiguam
in eo summe virtutis spem collocarent. Inter-
ea cum pater artis militaris laude celebri-
mus, filium perinde militaribus vellet assue-
scere negotijs, obstabat mater, natum suum
dicitans, in magno partus discrimine, diui-
no cultui à se ex voto destinatum. Cum ve-
ro pater votum isthac pertinaci contentione
improbaret, velletque modis omnibus filium
ad summos militiae honores prouectum, ecce
Aichardus ad dirimendam litem medius in-
teruenit, dixitque : nulla se rerum mortaliūm
ambitione teneri, neve vlla inanis militiae
pompa delectari. Christi vero se militem esse
decreuisse, ab huius se militia nō nisi sola mor-
te auulsum iri. Erat eo tempore in finitimare-
gione vir prudentiae & honestatis opinione
in primis celebris : cui principes & magnates
filios suos disciplinis optimis imbuendos cō-
mittebant. Multi enim ex eius disciplina mor-
ibus